

„Meinolfus *) sacerdos in Otterstide juratus dixit, quod in castro Otterberg et suburbio et in Campo visitaverit infirmos, parvulos baptisaverit, mortuos sepeliverit et curam animarum gesserit. Dicit et, quod Verdensis episcopus puerum comitis Bernhardi 44) in Otterstide baptisaverit, et postmodum uxorem comitis 45) dictus sacerdos in ecclesiam ipsam duxerit. Dicit et, quod puerum Gerfridi Wridic 46) in eadem ecclesia baptisaverit et postmodum sepeliverit. Dicit et, quod uxorem Mathie Wridic 47) nomine Mathildim in ipso castro inunxerit, et postmodum in ipsam ecclesiam Otterstide mortua deportata et missa ibidem cantata per licentiam suam Zevena ducta est et ibi sepulta. Dicit et, quod Johannem fratrem Bruninchi de Hunezine 48) in castro mortuum sepeliverit Otterstide. Dicit et, quod primo anno, quo dominus archiepiscopus cepit castrum Otterberg, in vigilia nativitatis [1221. Dec. 24.] veniens solito more ad castrum pro prebenda sua querenda admissus non fuit. Dicit et, quod Wichmannus, Albero, Heinricus sacerdotes, antecessores sui in Otterstide, similiter curam animarum gesserint in eodem loco sine contradictione. Dicit et, quod presens non fuerit, quando consecratum fuit cimiterium in Campo a Verdensi episcopo, sed propter indignationem se absentaverit. Requisitus de Heinrico sacerdote predicto, quanto tempore fuerit in Otterstide sacerdos, dicit, quod a festo Martini usque in purificationem, de aliis duobus sacerdotibus dicit, quod ignorat, quanto tempore fuerint ibidem.“

„Prepositus major Verdensis, cujus est archidiaconatus in Sutherem, quem XX annis tenuit, juratus dixit, quod homines suburbii Otterberg ad synodum suam Sutherem et juratus cum accusatis venerunt, et alios subportaret **) ad petitionem comitis Bernhardi dicit se fecisse. Dicit et,

*) Meinolfus bis cepit castrum, et quod ist abgedruckt bei von Hoderberg, Die Diöcese Bremen I, S. 62 f.

**) so mit mehreren offenbaren Schreibfehlern im MS., bei von Hoderberg sub porta et, was ebenfalls keinen Sinn giebt.